

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Io. Freinshemii Commentarii in libros s̄uperstites Q. Cvrtii  
Rvfi**

**Freinsheim, Johann  
Curtius Rufus, Quintus**

**[Argentorati], [circa 1639 oder später?]**

loach. vicofortio, equiti, incluto saxoniae duci bernhardo a consiliis  
secretioribus

**urn:nbn:de:bsz:31-103771**

IOACH. VICOFORTIO,  
EQVITI , INCLVTO SAXONIÆ  
DVCI BERNHARDO  
A CONSILIIS SECRETIORIBVS.

Ioan. Freinshemius S. P. D.

**P**ostquam absolutis in Q. Curtium commentariis, nonnulla de operis istius ratione prefari necesse foret, Amplissime VICOFORTI; res ipsa monuit, ut quibus præsidiis, in tanta paupertate temporum, rem haud mediocris impensa moliri potuerimus, reminisceret. Statim igitur per recordationem hominum, quorum beneficio hactenus studia nostra processerunt, ad omnium bonorum vnum summum largitorem, quasi quibusdam scalis, ascendimus. Cui eo nomine apud Te, vel Tecum potius, gratias agi, quæ Tua pietas est, imperare magis opinor Te, quam pati. Per hæc enim tempora, quorum tam longa, tamque violenta atrocitas, apud multa mortalium millia, quocumque modo miseram vitam tolerare, summam votorum effecerat; nobis, qui nihilo meliores dignioresue aliis sumus, præter viatum amictumque commodum & honestum, superfuit vnde & pauperioribus nonnullis succurreremus, & Musæ noster amor non sustinerentur modo, verum etiam ornarentur. At enim superioribus annis, agi ferrique res quæ meæ viderentur; ædificia incendi, vel dirui; agros situ incultuque squalere; bona hactenus nomina cum ipsa spe perire, aut indies deteriora fieri; alios inopia, alios praua vafricie mala publica in quæstum convertendi, fidem insuper habere: intendi precia rerum venalium; flagellari annonam, ipsamque eius caritatem non nemini caram esse; demens, & legum quibus viuamus immemor, tamquam mea damna moerebam. Donec crebra verbii diuini auditione, lectione, meditatione cum animo meo reputare cepi, non male mecum transfigisse caduca bona; si ab illis destituta spes in vnum DEVVM tota verteretur. Quem ipsum mei curam haud perfunditorie gerere, magis iam magisque quotidianis experimentis edocebar. Ut tandem omnia recolens fateri cogerer, nihil vaquam perinde ex utilitate mea euenisse, quam iacturam earum rerum, quæ me potuissent perdere. Longum foret enarrare, quæ olim animum veræ felicitatis ignarum, aut contemptorem spes at-

A 2

que

que desideria agitabant; certe ea vita conditione, qua nunc vix in rebus humanis, vnicे contentus ago, nunquam frui licuisset, nisi alia omnia voluenterem quodam quasi freno, rei familiaris salutare damnum attinuisset. Hoc in hanc urbem perductum adfixit Museo Viri Doctissimi atque Humanissimi, ut iuxta mecum omnes praedican, qui bibliothecam suam, pro modo priuati satis instructam, mihi non minus quam sibi patere voluit: & quamquam ipse quoque temporum difficultatem sentiret, meliori subinde conditione, quam ceteros conuictorum habuit: aliis necessitatibus meis pro me respondendo, mutuamque pecuniam dando, promptius quam ego per pudorem peterem, subuenit: studiorum meorum auctor, hortator, adiutor fuit. denique sub idem tempus Florum edidi: quum iam etiam de Curtio agitaremus; ad quem auctorem nonnulla quum interim in urbe Vangionum morarer mihi obseruata, diu ante ad eum miseram. Dum haec aguntur, tacito consensu studia nostra sociare cepimus, & ad multos auctores illustrandos communī labore materiam parare. Interea veteris desiderii mei partem expleuit Gallica peregrinatio, vbi me paulo minus triennio Vir Amplissimus Michael MARESCOTVS, libellorum supplicum Magister, summa benevolentia comiter atque liberaliter habuit. Vnde redux antiquum BERNEGGERI mei, studiorumque nostrorum hospitium repetii, qui etiam haud multo post conlocata mihi piissima filia, adulam iam tum amicitiam, adfinitatis addito vinculo indissolubilem reddidit. Ex quo tempore vetera studia serio retrahauimus. & quamquam Amantissimum Socerum meum grauis aegritudo per biennium fere in lectulo aut circa tenuisset; ne istud quidem tempus omnino vacuum abire passus est, sed interea cum Tacitus ederetur, plurimam eius rationem habuit; & quum de Curtio iam deliberassemus, ingenti labore diligentissimum Indicem confecit, qui materiam suppedaret Indici philologico, quem volente DEO proxime daturi sumus: eaque re me plurima molestia, & vero in primis carissimae rei, temporis inquam, larga iactura liberavit. Typographicis autem mendis repurgandis, adeo diligenter nauauit operam, ut vel ea sola editionibus nostris commendationi esse potuerit.

Iuuabamur iam tum vnius atque alterius inopina liberalitate; & adfulgebat nobis plerumque ignaris, adeo non e blandientibus, subinde noua spes: & adhuc non satis confederat animi mei peruersus tumor. Quippe velut generositate quadam indignabar alienis potius opibus beneficiisque nos obnoxios redi; quam propriis praefidiis

‡(\*)‡

fidiis honestissimorum conatum impensas tolerare. Donec tandem omnino depræhendi, quum vnius DEI sint omnia, non magis alienum esse, quod alii; quam meum, quod ego possideo. Et quum ille nihil mihi debens, omnia supra votum largiretur; parum me pro fano facere, si benignitatē eius in ordinem cogerem, & velut ex formula imperarem, vnde potissimum bene mihi faceret. Sic ut enim scelerate ineptus foret, qui in summa necessitate sua, honesti alicuius viri, cuius offensam infinitis modis, benevolentiam, ne uno quidem promerisset, liberalitate adiutus, in eiusdem preciū numis, certam effigiem morose exigeret: sic ego tum eram, qui malebam DEI pecuniam ab iis potius extorquere, qui debere mihi videbantur; quam ab offerentibus, indebitam accipere. In vnius DEI familia sumus omnes: quid mea refert, si seruo inutili ab auctore forte suo, vel atriensi potius, quam à dispensatore dimensum iubet dari? Operas ei debo; ille mihi alimenta non quidem debet, sed præstat: vtrumque, vt confido, non deerit dum viuam: aut si forte alimenta non dabit, aut non ita large dabit; dabit aliiquid longe maius, longeque præstabilius, malorum aliquando finem, interim patientiam. Absit à me DEVS mi, vt Tibi velim imperare, quomodo felicem me facias, qui tanto me es melior, tanto sapientior! Vnum hoc insatiabiliter à Te postulo, vt quod Tu vis, & ego velim. Erunt forte qui diu nimis in hoc loco versari me incusabunt, fortasse & qui mei animi sententiam, ex suo diuerse interpretabuntur: verum omnibus istis judiciis nobis antiquior esse debuit gloria DEI, in commemorandis eius beneficiis, quæ, quum tanta sint, tamque manifesta, si non agnoscimus, stupidi; si non prædicamus, ingrati sumus. Ego quidem etiamnum inuitus vos dimitto, ô suauissimæ cogitationes, quæ vna omnen saceruli molestiam abstergere, certe mitigate potestis!

Sed ad alia nunc præuerti tempus cogit: atque hominum, quorum ministerio beneficia sua DEVS nobis distribuit, quantum præsens institutum postulat, mentionem facere. Quorum, vt seriem temporum persequar, primus Adamus NEVDORFIVS Vir quantum homini iudicare fas est, extra controuersiam pius: vt iam inde DEI esse beneficia ista cogitare deberemus, quæ iste talis homo procuraret. Is igitur, quum & institutum nostrum cognouisset, & labores intuitus, consilium probauisset; omni ope illud iuuandum sibi censuit: donec, quod in Taciti præfatione exposuimus, Virum Nob. & Eruditum Io. Lud. PEYERVM, in Anglia repertum; mox etiam Te, VICOFORTI Amplissime, in Ba-

¶(\*)¶

rauiam redux, permouit, vt conatibus nostris, hoc est (audenter dicam) vtilitati horum studiorum, vestroque, qui illam promoueris, nomini faueretis. Vix dum producerat Tacitus, quum è vicinia nostra Vir Illustris & Amplissimus, Frid. Richardus MOCKELIVS Suetici Regni per Alsatiam Legatus, nec istic honorum insignibus, quam sua pietate, virtute, prudentia, eruditione notior, exemplum editionis illius, quod veteribus Viri meritis deuinetus Socer, cultus, vt solet, amicitiaeque gratia misera; large remuneratus: vltro studia nostra commendanda sibi duxit ILLVS TRISSIMO SAXONICÆ STIRPIS GERMINI, cuius ope consilio Republica fortiter feliciterque gesta, antiquissimæ domus gloria admirandis incrementis reuirescit. Atque Ille (hortatore etiam, qui Ei tum aderat, Amplissimo Viro Georgio MULLERO, Regni Suetici Secretario (quem & ipsum præter veterem cum Socero meo amicitiam, propensissimus Ampl. Mockelii fauor paris voluntatis impleuerat) Musas nostras digna tanto Principe munificentia honoratas prouocauit, vt Illius rebus, neque silendis, neque dicendis aliud agentibus, peculiarem curam destinarent. Sunt & alii Viri præclari, magnique per eruditionem aut dignitates nominis, quorum si beneficia in nos officiaque iam non referimus; haud obliuione, vel per ingratitudinem peccamus, sed temporis chartæque angustiis inclusi, commodiorem in occasio- nem reseruamus.

Tibi autem, Amplissime VICOFORTI, Curtium Tuum merito reddimus. Tuum enim iure vocamus, qui, vt sic prodiret, Tibi debet. Quippe quum ad editionem hanc sumptibus destitui nos comperisses; primum vltro non leuem pecunia summam submisisti: deinde maiorem petentibus numerari promptissime iussisti, nullum aliud pignus præter fidem nostram sequutus, quum etiam post multos menses chirographum præsenti oblatum, vix tandem obrudi Tibi potuerit: nec aliter, nisi vt in nostram gratiam rem superuacuam, sic enim appellabas, penes Te esse paterris. Quum interim, vt sunt humani casus, vel vita nos destituere potuisset; vel ut illa maneret, in tanto rerum discrimine, luendiæris alieni facultas. Tu autem, quamquam in summa rerum omnium aduentia, in alta pace, in concordi matrimonio, cum VOSSIO BArlæoque Tuis, Virisque aliis doctissimis, aut varia rerum experientia instruëtissimis, iucundissima quiete frui poteras; causæ communis fauore, & præsertim quodam philtro Virtutum, quæ Principis Incomparabilis nomen BERNHARDVM omnibus tam notum,

notum, quam suum est cuique, reddiderunt, illectus; eruditionem, prudentiam, facundiam Tuam, linguarumque & locorum admirandam peritiam, bono Te publico debere putauisti: & varias multasque per loca tam plena periculorum, quam humani prope cultus expertia, legationes suscepisti. in quibus facilime accidere poterat, ut vel Tibi, quod diu absit, humanitus aliquid contingenteret; aut certe periret probatio, qua vna niti poteras, si nobis diffidendum fuisset. Admonet illa Tua peregrinatio noui meritum, quod in has Musas PEYER VS noster contulit. Quum enim ista quae dixi negotia plerumque Telocis remotis, saepe etiam ignoratis detinerent; neque literae nostrae ad Te penetrare possent; atque interim augescente sub manum opere, maior quam initio statueraimus, pecuniae modus requireretur: ille nobis interea numerari curauit, quantum ad efficiendum praesens opus desiderabatur. Quum enim ab initio sperassemus, uno partu, totum qualem destinabamus, Curtium protrudi posse, idque proximis nundinis promissemus (vbi quidem nescio quo casu, ex catalogo edendorum librorum, cui inseri volueramus, in editorum album migrauit) tamen res ipsa docuit, spem nostram fuisse nimio liberalem. Quamquam excusare & istam possent, quae postea acciderunt. præter enim molem operis, quod inter ipsam tractationem ex ingenio aut labore nostro subinde nouum incrementum capiebat; etiam interclusa utrimque itinera, per commerciorum moras chartæ penitriam fecerant: insuper operæ raræ reperiebantur, & quibus nos vtebamur nostræ diligentia pares non erant. Semper enim labore meo multo præuerterebam eos; & quamquam interdum alia negotia interpellarent, præfertim præcipiti iam in finem opere; id temporis intertrimenti duorum amicissimorum hominum, Socii inquam mei, & fratri mei Melchioris opera sarciebatur: qui non modo corrigendorum typographicorum erratorum plerumque molestiam in se receperunt; verum etiam inquit endis auctorum locis, nonnunquam & enotandis quae apud quemque dicerentur, enixe iuuerunt. Fatendum tamen est, sic quoque festinandum fuisse: quam quidem rem patrocinio nobis futuram confido, si alicubi forsitan hallucinati sumus. Id enim saepius quam velimus accidisse, ex dictis aliisque caussis, non immerito veremur. nec mirum in opere longo & laborioso: in quo vna nobis cura fuit, nulli labori neque molestiae parcere, quo lectori minus foret; amplius autem commodi, quam aut ex singulis aliorum editionibus, aut simul ex omnibus. Quod quidem intendisse non diffitemur; an autem

‡ (\*) ‡

autem adsequuti simus, aliorum est iudicare. Dedissem tamen operam scimus, ne quod ab aliis utiliter obseruatum animaduerteret, obmitteretur. Ergo non solum amplissimos Raderi commentarios studiose contulimus; verum etiam Acidalii, Popmæ, Loccenii (nam Glareanum non vidimus) penum omnem excussum: excerptentes quidquid commodum videbatur, adiectis, ut quæque exscripteramus, religiose auctorum nominibus. Eandem fidem in coniecturis, quas aduersarii nostris Sebisius inseruerat, præstiri. Eandem in iis quas ex Bongarsii manu cum Manuscriptorum eius variis lectionibus misit nobis ante hoc sexennium Conradus Schoppius, tum Rhetor Bernatium. Eam supellectilem comparauerat Bongarsius editioni Curtii, quam se moliri ad Iustini lib. II. præfatus est. Deinde cum cetera Viri bibliotheca Bernatium iuris facta est, eiusque Nobilissimæ Republicæ permisso descripta, nobis nunc vsui fuit. cum variis etiam lectionibus, quas ex Gruterianis Codicibus enotatas Cl. Gronouius, & doctissimus noster Schragius submisere. Quibus rebus adiutus multa auctoris loca, quædam & ex ingenio emendaui. Quoties autem meas coniecturas aut obseruationes ab aliis occupatas cernerem, ipsis cessi: interdum pluribus auctoriis repertis qui eadem traderent, ipsorum testibus adieci: nulla quidem necessitate (vt ait de Arcesilao Plutarch. aduersus Colotem cap. 38.) sed tantum ea viris nobilibus inscribendo confirmans ac commendans. Quorum præ ceteris Radero hanc quoque gratiam retuli; quod plurimas ipsius notas à typographorum depravationibus vindicaui; ad quam rem sape non minus quam in ipso auctore, ad Criticam configendum fuit: notas confusas, & alienis locis positas, emaculaui, distinxii, in ordinem redigii: ad plures res, mores, historias, sententias, verba denique ac phrases, quæ id mereri videbantur, auctores vnde petitæ videbantur, adposui. citatos inspxi, libros, capita, versus, si qui eos habebant, adnotaui. Auctoriis aliena verba quæ nonnunquam adscribantur, ademi; sua reddidi. Ex notis si qua verba pro præsenti instituto abundare videbantur, recidi: rerum etiam alieniores vilioresue neglexi, ne in immensum moles cresceret. Eadem caussa Græcorum auctorum verba non posui, sed interpretum: ne si vel ista sola adducerentur, ignaris linguae vsui non forent; vel si vtraque, duplex spatiū occuparent. nisi quum in Græcis verbis aut singularis emphasis esset; aut aliquid emendandum, vel aliter exponendum videtur. Ipsos Curtii sensus, quum vt plurimum ab auctore perspicue tradantur, haud temere explicaui; nisi eos alio quam ille veller,

trahi

trahi intelligerem. Vbi tamen errores aliorum raro perstringo: tantum veram cuisque loci lectionem paulo diligentius adstruo. Dis- sentio plerumque libere, nusquam acerbe: plane ut mecum agi velim. Breuiat quantum potuit, studui; ita tamen, ne quæ adnotare pre- cium foret, prætermitterentur. Inter quas angustias sæpe recurrebant animo ista D. Augustini ex fine epist. 101. *Laborant homines in discendo, & brevia non valent intelligere; prolixa non amant legere. Laborant itidem in docendo, qui & paucatardis; & multa pigris frustri cingerunt.* Ceterum commenta- rios auctori subjunximus, vt cum eo conlaturis in expedito res esset. Verborum atque phrasium pauciora hic enucleamus; in Indicem velut propriam sedem pleraque coniecimus. Quem cum ipso textu Curtiano, Manuscriptorum ut diximus ope; vel certissimis con- iecturis, multis locis emendato, cumque nostro defectorum locorum supplemento, variis etiam lectionibus additis, proximis nundinis ex- hibebimus: siquidem DEV'S hanc nobis valetudinem, hocque otium porro concedet; nosque diutius his laboribus inuigilare patietur. Nam ut eos omnibus aliis seculi negotiis anteferimus; ita quādolum- que ille iussit, ipsius gratia confisi, haud grauate vel differemus, vel etiam abrumpemus. Si quod ex his emolumentum aut haurire possint alii, aut ipse hauriam, querere lubet; præteritis compluribus, vnum indico: magis magisque confirmari opinionem, qua vitam gentium regnorumque primis ab originibus expendenti, semper quidem inte- gritas atque prudentia veluti gemini quidam pedes vii sunt; quibus publica priuataque negotia inniterentur. iis enim recte valentibus, omnia feliciter procedunt: alterutro debilitato, claudicare necesse habent; subductis duobus, & corrue. Verum ego hæc Tibi, Tuique similibus expendenda relinquo, qui in luce hominum, atq; rerum acti- bus versamini. Nobis sufficerit tueri vestrum fauorem, neq; indignos præstare conilatis in nos beneficiis. *Quod quidē summis viribus con- nitetur: & quando rationem, quam in editione auctorum sequuti su- mus, plerisq; haud displicere intelligimus, ceterorum etiam plerisque subinde publicandis, eandem diligentiam adhibebimus.* Quod, in quantum in rebus humanis aliquid fidum est, eo audacius polliceri possumus, quod profectus in his studiis fratris mei, & spes ex adfini Tobia Berneggero, etiamsi Sacerum meum, aut me, mortalitas occu- per, nostris ceptis perficiendis subsidio fore videantur. Sed isthæc Deo curæ erūt. Mihi interim per summam festinationem hactenus Tecum cōloqui licuit Vir Amplissime; reliqua in ipsius Curtii editione volēte Deo commodius exsequemur. Vale. Argentorati, ex Museo Bernege- riano, A. D. IV. Kal. April. Anno Christi MDCXXXIX.